



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

Christopherson, John

[Köln], 1569

De morte Gratiani & Maximi tyrannide. Capvt XII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12704

tem, & veritatē, anathema esto. Si quis negauerit tres veras personas esse, patris, filii, & spiritus sancti, semper viuere, oīa continere visibilia & inuisibilia, oīa posse, omnia iudicare, omnibus vitam tribuere, omnia fabricare, omnia cōseruare, anathema esto. Si quis negauerit spiritum sanctū ab omni creatura perinde adorādum, vt patrem & filium, anathema esto. Si quis de patre & filio rectē sentiat, de spiritu sancto autem non item, hæreticus est: quandoquidem omnes hæretici, qui de filio Dei, & de spiritu sancto prauē sentiunt, in Iudæorū & Gentilium infidelitate versari deprehendūtur. Si quis deitatē diuiserit, dixeritq; patrē Deū, filium Deū & spiritum sanctū Deum separatim, affirmaueritq; etiā deos dici, & non Deum, propter vnam diuinitatem & potentiā, quam credimus, & agnoscimus, patris & filii, & spiritus sancti, cum sit vnus Deus in tribus personis, aut rursus ita exceperit filium & spiritum sanctum, vti patrē solum, Deum dici, aut non vnum credi Deum existimet, anathema esto. Nam nomen deorum & angelis, & omnibus sanctis à Deo donatum est. In patre & filio & spiritu sancto propter vnā æqualemq; diuinitatem non nomina deorum, sed nomen Dei nostri effertur & significatur: vt credamus, quod in patrem, & filium, & spiritum sanctum baptizati sumus, & non in nomina archangelorum, aut angelorum, sicut Hæretici, Iudæi, & Gentiles delirant. Hæc igitur Christianorum salus est, vt credentes in trinitatem, id est, in patrem, & filiū, & spiritum sanctum, & baptizati in eandē, credamus quoq; vnā in ea deitatem esse, vnā potentiam, vnā diuinitatem, & essentiam deniq; vnā.

De morte Gratiani & Maximi tyrannide.

CAPVT XII.

Ista quidem, dum vita adhuc Gratiano suppeteret, gesta sunt. Vbi autem is post res in bello præclare gestas, post ciuitates modestia & æquitate réperatas, ex insidiis interiit, nullo filio, hærede imperii relicto, sed fratre solum admodum adolescente, qui patris nomine appellabatur, Maximus quidam adolescentia Valentiniani (sic enim vocabatur) cōtemptra, dominatū Occidentis per vim arripuit.